



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. VIII. De Emptione & Venditione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

Quæ obligatio & pœna sit usurariorum & cooperantium?

Resp. I. Usurarius etiam non manifestus, ac hæredes tenentur restituere, imò etiam omnes ii, qui ex parte usurarii cooperantur efficaciter, v.g. iudices, domini temporales, notarii, famuli, advocati, qui quovis modo juvant, vel cogunt mutuatarios ad solutionem usurarum. Dixi (*possitivè seu efficaciter*) quia habendo se negativè, possunt permittere usurarios, ob justam causam & necessitatem pauperum. Præterea in praxi, ex præsumpta voluntate mutuatariorum, ferè excusantur minus principales famuli. II. Usurarius publicus, sive notarius non debet admitti ad communionē altarum, nec absolvi, donec restituat usuras, nec sepeliri in loco sacro: & qui scienter sepelit, ipso facto est excommunicatus. III. Addit *Laym. l.c. n. 21.* eius testamentum ipso jure irritum esse, nisi ante mortem restituerit, v. *Less. Bon. Truh. c. 19. d. 22.*

DUBIUM VIII.

De Emptione & Venditione.

ARTICULUS I.

Quid sit Emptio & Venditio,

Resp. Est contractus, quo pretium pro merce solvitur, completurq; mercis traditione. Venditio contra. Justitia ejus in hoc consistit, ut pretium sit justum, sive exæquet valorem rei; & contra

tra, alias si absque legitimo titulo secus fiat, committetur iniustitia gravis, vel levis, pro gravitate excessus, qui proinde ad restitutionem in conscientia obligabit: etsi in foro externo ad restitutionem fere non cogatur, nisi ultra dimidium defraudaverit. *v. Lay. cap. 17. Bon. 3. q. 2. p. 1. c. 1. 4. Unde resolves.*

I. Quod spectat ad emptorem, is potest emere vilius, quam res valeat, si ei non sit commoda, vel emat in gratiam venditoris, ac similes sint circumstantiæ, quæ rem faciant viliozem. Nec obstat, quod venditor necessitate ductus vendat vilius: quia venditio manet voluntaria, inquit *Caj. v. Bon. l. c. n. 21. c. 23.* Potest nihilominus graviter peccari contra charitatem, si quando pauperuli extrema inopia res suas vendere coguntur, nimis viliter ab eis emas, *Laym. l. c. n. 10.*

II. Emptor potest emere minoris, ex eo, quod multa simul emat: quia tunc venditorem liberat multis curis, & expeditum facit ad alia nova comparanda, unde merito pretium decrescit, *Bon. l. c. p. 4. n. 13. ex Less Reg.*

III. Quoad venditorem, is communiter debet vendere secundum pretium taxatum à lege, vel magistratu: quod si nullum est, id censetur iustum, quod morali hominum æstimatione imponitur. Quod non consistit in indivisibili, ut anxie scrupulari oporteat; sed dividitur in infimum, medium, & summum; sive ut alii vocant pium, moderatum, & rigorosum, ita ut intra latitudinem huius pretii vendere & emere liceat, nunc summo, nunc infimo.

IV. Si quid emptori valdè utile sit, non licet hoc solo nomine rem vendere ultra pretium iustum; quia utilitas emptoris tota est ipsius, non venditoris, *Bon. l. c. n. 27 ex Less. l. 2. c. 27. d. 4. Fill. t. 35. n. 77.*

V. Licet autem vendere carius quam valet, pretio currente, si alii boni tituli adsint, & simul de hoc emptorem moneas: quia tunc illi non fit injuria. Tales autem sunt, v. g. lucrum cessans, aut damnum emergens, aut incommodum, vel molestia tibi obventura ex rei venditione, aut affectus in eam singularis, ut si acceperis à majorib. à Principe. Item si res sint novæ, raræ & singulares; ut v. g. peregrini flores, aves, fere, monumenta antiqua, picturæ, numismata, *Lay. l. 3. t. 4. c. 17. §. 1. n. 16. Bon. l. c. n. 15. ex Less. Reg. & c.*

VI. Qui res minutim & in parva quantitate vendunt, possunt aliquando carius vendere, quam qui in magna quantitate: quia debent majores labores, expensas, &c. impendere ad ea conservanda: & sic quidam excusant caupones & stabularios, qui avenam, fœnum, paleas, &c. carius vendunt, quam alii; dummodo pretium iis non sit taxatum, *Salon. Trul. d. 1. n. 11.*

VII. Non licet carius vendere præcisè ob dilatam solutionem, aut vilius emere, ob præcisè anticipatam solutionem, quia in venditione, quæ fit credito, vel in anticipata solutione, est virtuale mutuum, ideoque usura, si quod supra sortem exigatur. Quod intellige, nisi interveniat alius titulus ex supra enumeratis de usura; vel nisi aliunde crescat pretium, v. gr. ex frequentia

emptorum, &c. *Bon. l. c. ex Less. Regin. Fill. &c. vide superiore dub.*

VIII. Licitum est vendere rem cum pacto de retrovendendo, id est, ut emptor teneatur tibi statuto tempore, vel cum volueris, eam revendere, modo vera, & non ficta emptio fiat, nec palliata usura intercedat, *Mol. d. 375. Less. du. 14. &c.* Qui addunt, juxta æstimationem illius operis accepti, pretium esse imminuendum. | *v. C. Lugo d. 26. n. 189.*

IX. Monopolia, id est, cum unus, vel plures id efficiunt, ut ipsi soli aliquid vendant, vel cum mercatores conspirant, non minoris vendere, non suat contra justitiam; modo non conspirent extra justum pretium vendere. Ita contra *Rebell. Nav. &c.* docent, *Mol. Less. &c.* Qui tamen concedunt, esse contra charitatem, *v. C. Lugo d. 26. f. 13.* Porro Principum vel Magistratus est, cum uni, vel paucis tale privilegium conceditur, ut soli aliquid vendant, iis etiam pretium taxare, & sic prævidere ne subditi graventur, *vid. Less. c. 21. d. 20. C. Lugo l. c. & Trull. cap. 20. d. 18.* ubi rectè notat ex *Navar. &c.* etsi alia monopolia ex justa causa auctoritate Principis, vel Reipub. concessa taxato pretio sint licita, v. g. Bibliopolis, ut nemo alius talem librum vendat, vel ut tantum sit unus, aut duo tabernarii in aliquo loco; nihilominus quando unus vel pauci propria auctoritate constituunt, v. g. emendo merces certi generis, ut frumentum, vinum, oleum, &c. ut ipsi deinde arbitrato suo vendant carius, peccare semper etiam contra justitiam cum obligatione restituendi.

v. 40. Ina. XI.

X. Ven-

X. Venditor debet emptorem præmonere de notabili vitio rei, quod ei obesse potest, v. gr. si equus sit furiosus, domus ruinosa, oves morbidæ, pannus adustus, &c. alioqui tenetur de fraude & damno secuto: saltem si defectus fuerit in substantia, vel quantitate, v. g. si deficiat in pondere vel mensura, aut venderit rem unam pro alia: & sic peccat mortaliter cum obligatione restituendi, 1. qui frumentum venditurus ponit prius loco humido, ut intumescat: 2. qui vino Rhenano miscet Franciama, 3. qui carnes bubulas vendit pro vervecinis, &c. *v. Less. Bon. Dian. p. 1. r. 8. R. 51. Trul. d. 11.* Quando autem venditor possit justè tacere vitia qualitatis rei, quæ venditur, sine obligatione restituendi pretium, vel rescindendi contractum, *vide C. Lugo d. 26. f. 8. n. 128. & Trul. c. 20. d. 11.* ubi notat venditionem factam ab ignorante vitium rei, esse validam: rescindendam tamen vel reducendam ad æqualitatem, nisi venditor contra hoc exceperit.

XI Si scias occultè debitorem tuum non esse solvendo, injustum videtur, iis qui id nesciunt, debitum illud vendere pretio ordinario: tum quia est dolus; tum quia vitium intrinsicum crediti revelatur, *Bonac. l. c. p. 10. ex Less. c. 21. d. 30. Fill & c.*

XII. Etsi venditor sciat pretium mercis mox minuendum, licet tamen vendere pretio corrente, & non dicere emptori (secluso tamen dolo, fraudibus, & mendaciis, quibus emptorem allicere ad emendum ei non licet) quia pretium currens

rens simpliciter adhuc est justum. *Bon. q. 2. p. 5. n. 12. ex Azor. Fill. Less. &c.*

XIII. Si cui datum est aliquid vendendum pretio, v. g. infimo, vel moderato, & is vendat rigoroso, probabile est, ut habet *Angel. V. Emptio*, non teneri restituere, sed posse retinere excessum; cum sua industria acquisiverit. Aliud tamen est de famulis mercatorum, quib. indeterminato pretio traditur meliori modo vendendum, quo possunt in utilitatem domini. *v. Less. d. 18. C. Lugo d. 26. f. 9.*

XIV. Quando factoribus ementibus pannum pro iis, quibus vestes conficiunt, minoris venditur, quam aliis, eò quòd sint Parochiani mercatorum, vel sæpè ab iis emant, possunt partem pretii remissam sibi retinere, dummodo alias fideliter agant; quia nulli fit injuria: & cum mercatorum plurimum intersit, ut tales ad ipsorum potius, quam aliorum officinas veniant, censentur ipsorum gratiam remittere, iisq; donare eam partem. *Fill. Dian. p. 1. t. 8. R. 26.* Negat tamen *Salas*, eo quod mercatores falsò dicant se remittere, ut alluciant.

XV. Cum res duobus in solidum est vendita, is dominium acquirit, cui tradita est, dummodo is pretium solverit, Si neutri tradita sit, debetur ei, qui prius tempore emit, & alter habet actionem in venditorem. Si quid tamen vendatur, aut detur Ecclesiæ, vel aliis piis locis, acquiritur dominium ante traditionem, *v. Less. l. c. & C. Lugo d. 26. f. 9.*

XVI. Si res pereat ante traditionem, & sit certa

ac determinata, v. g. hæc domus, hoc dolium vini, perit emptori; nisi aliter expresse conventum sit, aut venditionis culpa pereat. Si autem res sit indeterminata (ut si quis emerit 10. modios tritici ex granario, oves ex grege) aut si emat rem determinatam quidem, sed ad mensuram (ut acervum totum tritici uno floreno, in singulas mensuras) tunc ante rei traditionem, aut mensurationem, periculum spectat ad venditorē, v. *Less. dub. 12. l. c. Lugo d. 26. s. 14. n. 2 6. La. m. l. .t. 4. c. 17. §. 2. Bon. q. 2 p. 8.*

XVII. Si res vendita pereat, aut deterior fiat post traditionem, perit emptori, licet pretium nondum persolverit; quia res domino perit, *Lay. Bon. ll. cc.*

Quæres. I. An & quomodo liceat emere chirographa, seu credita alterius;

Resp. Si credita in posterum exigenda (sive jus quod habet alter, ut ipsi in futurum aliquid solvatur) sint certa, ea minoris emere, solutione anticipata, est usura, secluso tamen lucro cessante, & damno emergente. *Bon. d. 3. q. 3. p. 10. ex Mol. Less. Tol. Fill.* Quia accipitur aliquid supra sortem ex mutuo: nam mutuatur implicite minorem pecuniam pro exigenda majore. 2. Dixi certa, quia si credita sint incerta, periculosa, & litigiosa, ac cum difficultate, exigenda licite is, qui non est causa istius difficultatis, minoris emit, prout difficultas, vel incertitudo solutionis minor est, vel major; quia cum tali periculo & difficultate minus valent, *Bon. l. c. Trull. l. 7. c. 20. d. 8. Unde resolves.*

I. Usuram committunt 1. Ministri Regum & Principum, &c. qui ut anticipatam faciant solu-

lu-

lutionem, aliquid recipiunt à creditoribus. 2. Qui aliquid accipiunt à debitoribus concessa dilatione ad solvendum; quia accipiunt aliquid ultra fortem pro mutuo virtuali, *Bon. l. c. Nav. Mol. Salas. & c.*

II. Minoris emi ~~non~~ possunt regulariter credita & stipendia, sive salaria debita militibus, aut famulis Nobilium, quia habent adjuncta incommoda, pericula & molestias in exigendo: quam ob causam idem licet, etiamsi credita illa tempore presentis, vel etiam praterito fuerint solvenda, *Bonac l. c. ex Reg. Mol. & c.*

III. Qui ipse est causa difficilis solutionis, peccat contra justitiam emendo minoris, & tenetur ad restitutionem; tum quia ipse est causa damni, cum ipse culpa creditum valeat minus: tum quia alioqui præmium ex delicto suo reportaret, *Mol. d. 313. Fill. Bon. l. c.* Hinc Quæstores Principum ad quos solutio pertinet, quando ipsi sunt causa difficilis, & malignæ solutionis, non possunt chirographa, vel credita emere minoris, ut docent *Auth. cit.* Additque *Salas & Mol. l. c.* Non esse liberum Quæstoribus, &c. quibus incumbit solvere magnatum debita, uni potius solvere, quam alteri (nisi quis fortè jus præ aliis habeat, ut *vide supra de ordine restit.*) sed teneri omnibus solvere pro rata. *Bon. l. c. v. Trul.*

l. i. d. 10.

ARTICULUS II.

Quid sit negotiatio, & quibus illicita?

Resp. Ea est, cum quis rem sibi comparat eo animo, ut integram, & non mutatam, carius vendendo, vel permurando lucretur. Quod quia obnoxium est periculo multorum peccatorum, & valdè distractivum, ac indecens statui Clericali, sic lucris inhiare, severè prohibitum est Clericis constitutis in sacris, & religiosis omnibus, ita ut mortaliter peccent, si multam negotiatiioni dent operam, ut ait *Less.* quem *v.l.c.d.1. & Laym. 3. t. 4. c. 17. Bon. de contrah. n. 3. q. 1. p. 5. C. Lugo d. 16. s. 3. n. 19.* Unde resolves.

I. Si Clericus semel iterumq; tantum negotietur, in materia non gravi, v. g. libros, cruces, &c. emat; ut occultè iterum vendat carius, non est mortale, *Less. Mald. Fill. Dian. C. Lugo l.c.*

II. Non est negotiatio Ecclesiasticis vel Religiosis prohibita, si emant pecora, quæ pascuis suis saginata vendant: quia vendunt fructus suorum prædiorum, vel agrorum, *Mol. Less. C. Lugo s. 3. n. 29.* uti nec si greges alant, ut foetus, lac, lanam vendant, *C. Lugo l.c.* Ubi tamen negat, licere iis conducere agros, ut fructus vendant, eo quod (licet non sit negotiatio propriè dicta) specialiter illis sit prohibitum in *Concil. Carthag. v.l.c.*

III. Non peccat Clericus i. Si emat agrum cum fructibus jam maturis, illosque vendat: quia vendit fructus agri sui. *Card. de Lugo l.c. ex Mol. Fill. &c. 2.* Si id, quod ad proprios usus emerat, postea,

stea, vel quia non indiget, vel mutato consilio, carius vendat, *ibid.*

An verò, & quomodo Clericis liceat negotiari per alios non famulos, præsertim in necessitate, *v. Card. de Lugo d. 26. s. 4. n. 36. Trul. l. c. d. 19. Barb. de jur. un. l. 1. c. 40. a. 1.*

DUBIUM IX.

Quid sit Contractus Census; & an licitus?

Resp. Is est, cum certa summa pecuniæ, v. g. 100. florenis, emò à te jus percipiendi quotannis ex bonis tuis, aut certa aliqua re tua utili, sive fructifera, certam aliquam pensionem seu censum, v. g. florenos 5 annuos, vel 6. prout consuetudine, vel lege taxatum erit. Ita ut hic non sit mutuum & usura, si alias pravam intentionem non habeas, sed vera emptio, & venditio, qua emitur, non præcisè ipsa pensio, sed jus eam percipiendi; quod longè minus valet; deoque emitur minoris; licet post multos annos pretium longè superet, *Molin. Less. Laym l. 3. t. 4. c. 18. & ceteri communiter.* Rectius tamen *C. Lugo d. 27. s. 2. n. 20.* probat, ad excusandum censum ab usura, dicendum esse, non emi pensiones, neq; jus ad illas neq; fructus, sed potius partem ususfructus talis prædii, super quo constituitur; ita ut dominium totum directum prædii maneat apud venditorem; dominium verò utile, seu jus ususfructus ex parte vendatur. *Vnde resolvuntur sequentes Casus*, qui etiam ex natura emptionis & venditionis solvi possunt.

I. Hic